

in mundo sunt, mundus in æone, in Deo. Cuius Dei ait Hermes.

Τοῦ δὲ θεοῦ, ὡς περ οὐσία ἐστὶ, τὸ ἀγαθὸν, τὸ καλόν, ἡ εὐδαιμονία, ἡ σοφία. Τοῦ δ' αἰῶνος ἡ ταυτότης, τοῦ δὲ κόσμου ἡ τάξις, τοῦ δὲ χρόνου ἡ μεταβολή, τῆς δὲ γενέσεως, ζωὴ καὶ θάνατος.

“Dei vero veluti essentia est, bonum, pulcrum. Felicitas, sapientia. Æonis vero identitas. Mundi autem ordo. Temporis mutatio. Generationis, vita et mors.”

Hæc quidem, quinque rerum harum est essentia. Vires, vero, et anima, ut idem ait: Καὶ τοῦ μὲν αἰῶνος ἡ ψυχὴ, ὁ θεὸς. Τοῦ δὲ κόσμου ἡ ψυχὴ, ὁ αἰὼν, τῆς δὲ γῆς, ἡ ψυχὴ ὁ οὐρανός.

“Et æonis quidem anima est Deus. Mundi vero anima est æon. Terræ autem anima est cælum.”

Hoc est, tamquam anima, ac pars melior. Ex talibus vero, et essentiis, et potentiis actiones hæc proveniunt, et effectus hi. Iuxta ipsum.

Ἐνέργεια δὲ τοῦ θεοῦ, νοῦς καὶ ψυχὴ. τοῦ δ' αἰῶνος, ἡ διαμονή, καὶ ἀθανασία. Τοῦ δὲ κόσμου ἀποκατάστασις καὶ ἀνταποκατάστασις, τοῦ δὲ χρόνου αὐξήσις, καὶ μείωσις, τῆς δὲ γενέσεως, ποιότης.

“Actio vero Dei, Mens, et anima. Æonis, permanentia, et immortalitas. Mundi vero circuitus, et regressus. Temporis, auctio, et diminutio, generationis, qualitas.”

De quibus effectibus, secundi tantum, permanentia, et immortalitas, ad rem nostram faciunt. De permanentia dicamus prius.

Permanentia, est duratio, seu perduratio, quædam, et perennitas. Communis autem est, tum tempori, tum æoni, tum æternitati, tum etiam sempiternitati. Namque ὁ αἰὼν, Græcis ἀεὶ ὄν significat, quæ latini dicunt, sempiternitatem, æternitatem, et ævum, t seculum χρόνος vero solum designat tempus. Quod tempus. Aristotelis deffinivit, esse “numerum seu mensuram motus per prius, et posterius.”

His paucis vero verbis, sex ac forte plures commisit errores. Primum, quod mensuram et numerum, quæ sunt cogitationis nostræ opera, genus essenziale fecit tempori, rei per se existentis, et suam hyparxin habentis, quasi nostra cogitatio, det esse naturali rei. Neque ei in mentem venit, quod alibi dixerat.

Τὸ δὲ τῇ νοήσει πιστεύειν ἄτοπον.

Cogitationi vero credere, absurdum.

Itaque cogitatio nostra, ad essentiam temporis nihil pertinet. Et tempus duratio est sine ulla nostra, vel mensuratione, vel numeratione. Secundus error. Quod in differentia, motum tantum posuit. Tertius, quod statum prætermisit, cui duratio, et tempus, tam communis est, quam motui, tanto enim tempore terram stat, quanto cælum movetur. Quartus, quod durationem, quæ temporis est essentia propriissima, penitus ommisit. Quintus, quoniam motus mensurat tempus, potius quam tempus mensuret motum. Motus enim solis, et vicissitudo luminis et tenebrarum, mensurat temporis spacium, et partes eius per horas numerat. Sextus, quod prius illud est posterius, ad temporis durationem, et rerum permanentiam pertinent nihil. Tempus autem revera esse durationem, et statui, et motui communem, et non mensuram ullam, argumento clarissimo fuerit, si quis aliquem in teterrimo carcere (quod multis mortalium accidit) iacere consideret: loco quo lumen nullum penetret, densissimæque tenebræ ibi resideant. Et ab omni horarum, aut strepitus cuius vis sono, procul absit. Certe, is motus nullius partes, vel mensurabit, vel numerabit: neque ullam motus partem ullius percipiet. Percipiet tamen durationem, et tenebrarum in eo loco, et suam, in tenebris iisdem. Numeret autem alius quispiam, diem aut horam, quibus ille in carcerem est trusus. Uterque sane durationem eam cognoscet. Sed ille per statum, hic vero per motum luminis et tenebrarum, et motus partes numeratas. Eadem differentia est inter duos, quorum alter in urbe sit, alter ruri, ubi nulla sint horologia, habitent. Ille quidem horas numerabit, et per eas durationem percipiet. Alter vero hic ruri, eandem percipiet durationem, tametsi per partes mensurare